

~~Q/115~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

11-22.

SIGNAT. CLVCCCCXIII.

Q. D. B. V.

DISSERTATIO THEOLOGICA

Qua
PRÆCIPUI

PONTIFICIORUM ERRORES

circa doctrinam

DE

ECCLÉSIA

ΩΣ ΕΝ ΣΥΝΟΨΕΙ

ob oculos sistuntur, strictimque refutantur.

P R A E S I D E

GODOFREDO HOFFMANNO,

SS. THEOL. DOCTORE ET PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO
DUCALIS STIPENDII THEOLOGICI SUPERATTENDENTE,
ET ECCLESIAE DECANO,

Publica ventilationi exposita

Die Mart. MDCCLXXIV.

Hor. ante - & pomerid.

à

RESPONDENTIBUS

M. CHRISTOPHORO LUDOVICO MOEGLING, Kircho-Teccensf

M. FRIDERICO LAUX, Marco-Gröningenf.

SS. Theologiae in Ill. Stipend. Cultoribus.


TUBINGÆ,

Literis HIOBI FRANCKII,



DISETTIO THEOLOGICA
IN
PRAESENTIA
RECTORIS
AC
CENSURAE
THEOLOGICAE
UNIVERSITATIS
HALLENSIS
A
GODFRIDO
HARTMANNO
S. THEO. BACCALARIO
IN
HALLAE
M. D. C. C. C. X. V.
M. D. C. C. C. X. V.
RESPONDENT
M. CHRISTOPHORO LUDOVICO MOEGING, THEO. DOCT.
M. FRIDERICO PAULI, THEO. DOCT.
M. THEOLOGICO BACCALARIO
HALLAE
M. D. C. C. C. X. V.





I. N. J.



Articulum de Ecclesiâ à Pontificiis pro præcipuo haberi & quandam veluti ἀπόστολον fidei & salutis constitui, notius est, quam ut prolixiore probatione opus habeat.* Quicquid enim Ecclesia, Romana puta, quæ Papam pro capite oecumenico agnoscit, credendum præcipit, id sine ulteriori examine pro vero habendum & indubitata fide tenendum esse docent, eò quòd Ecclesia errare non possit. Unde PALLAVIGINUS: *Nostra fides, ait, unico articulo indivividuo nititur, qui est*

A 2

auto.

* Hinc & B. Cancellarius noster D. JÆGER, in Tractatu suo de Ecclesiâ hanc Controversiam primo loco posuit: *An Ecclesiâ sit primus fidei articulus?* ubi contra celebrem Jansenistam Antonium ARNALDUM viam auctoritatis viæ examinis præferentem disputat.

autoritas Ecclesia falli nescia. Et *Vitus ERBER-*
MANNUS, celebris Jesuita, *totam fidem Catholi-*
cam proximè & formalissimè in infallibilitate Ecclesiæ
fundari dicit. Imò & ad salutem id unum suffi-
 cere putant, si quis credat, quod Ecclesia Ro-
 mana credit, licet vel prorsus nullam, vel te-
 nuem saltem & exiguam de capitibus Doctrinæ
 Christianæ notitiam habeat, quam fidem illi *im-*
PLICITAM, nostrates communiter *carbonariam* ap-
 pellare solent. Hinc *ECCIUS* cum *Luthero Li-*
psia disputaturus initium fecit à loco de Ecclesiâ
 ejusque autoritate infallibili, quia censuit, si hoc
 obtineret principium, se victoriam in reliquis ar-
 ticulis controversis eo facilius reportaturum esse.
 Et Cardinalis *BELLARMINUS* * asserere non du-
 bitavit, etiamsi Protestantes quoad cætera omnia
 cum Papistis convenirent, tamen cum his neuti-
 quam conciliari posse, quamdiu Eccl. Rom. infalli-
 bilitatem, & Pontificis Romani Episcopatum oecu-
 menicum negent. Ex quo facile est judicare, quid de
 consiliis Pontificiorum Irenicis quibusvis sit sen-
 tiendum, & quòd nulla iis fides sit habenda,
 quantamcunque etiam pacis & concordia spe-
 ciem præ se ferant. Meri enim sunt tuci, doli
 ac

* *L. III. de Laicis c. XIX. adversus Cassandrum.*

ac fraudes, quibus incautos in casses suas pertrahere tentant. Quare operæ pretium nos facturos existimamus, si in præcipuos Adversariorum circà doctrinam de ECCLESIA errores penitius inquiramus, cui argumento præsentem hanc disquisitionem destinavimus, in quâ, prælucente Verbo DEI, breviter & succinctè ostendemus, quod alii ante nos spissis voluminibus dudum solidè demonstrârunt, nimirum quòd Pontificii graviter & periculose errent I. Circà *CAPUT*. II. *MEMBRA*. III. *AFFECTIONES* seu Qualitates; & denique IV. circà *NOTAS* veræ Ecclesiæ, dum

PRIMO, Pontificem Romanum caput totius Ecclesiæ visibile constituunt, & hoc nomine potestatem ei in spiritualibus & temporalibus summam atque ἀνεπίθυτον tribuunt.

SECUNDO, Omnes Ecclesiæ Romanæ doctrinam exterius profitentes & hujus capiti adherentes pro veris proprieque sic dictis Ecclesiæ membris habent, etiamsi verè renati & pii non sint; Quoipso in excessu eos peccare manifestum est. Quemadmodum & ex opposito peccant in defectu, dum non-baptizatos, hæreticos

cos, schismaticos, & excommunicatos quoscunque ab Ecclesiâ simpliciter & sine distinctione excludunt.

TERTIO, Ecclesiam perpetuò visibilem, & in doctrinâ infallibilem esse contendunt, ita, ut nunquam deficere, neque in fide errare possit. Et denique

QUARTO, Ecclesiæ veræ à falsâ dignoscendæ spurias Notas adsignant, ex quibus deinceps solam Ecclesiam Romanam veram, nostram autem falsam & novitiam esse perperam concludunt.

De quibus singulis nunc ordine dicemus *σ. θ.*



SECTIO

SECTIO PRIMA. DE CAPITE ECCLESIAE VISIBILI.

CHristum esse Caput Ecclesiae suae principale & invisibile nobiscum fatentur Adversarii ; Huic verò caput vicarium & visibile subjungunt, illudque Papam Romanum esse contendunt, & in adstruendo hoc audacissimo suo asserto sic procedunt, ut dicant, Monarchiam optimam esse Reipublicae formam, & proinde etiam Regimen Ecclesiae debere esse Monarchicum ; Petrum igitur Apostolorum Principem, Monarcham & caput totius Ecclesiae ab ipso Christo esse institutum, sedemque suam Episcopalem & Monarchalem, jubente Domino, Romae collocasse, & tandem ut Episcopum ibi mortuum esse ; Huic verò in universae Ecclesiae Primatu Pontifices Romanos continuâ serie in hunc usque diem jure Divino successisse, quos proinde universa Ecclesia tanquam caput suum visibile & Vicarium Christi in his terris venerari debeat. Ex quo porro inferunt, Papam habere gladium utrumque, h. e. potestatem summam in *Spiritualibus* & *temporalibus*, condendi leges, quae omnes fideles obligent in conscientia, & disponendi de rebus omnibus Christianorum, etiam in civilibus, pro lubitu, ipsaque adeò mundi regna conferendi & transferendi. Quanquam verò negari non possit, alios quidem de his omnibus durius & crassius, alios verò mitius ac modestius sentire ac pronuciare, quam praerogativam *Sorbona* olim competiisse varia rerum gestarum documenta testantur ; In eo tamen omnes conveniunt Doctores Pontificii, quod Papa Romanus sit Caput Ecclesiae oecumenicum, & quod omnes illi pro haereticis sint habendi, quotquot Sedi Romanae addicti non sunt, ejusque potestati subesse recusant.

II. Jam

II.

Jam verò, ubi nos grandi huic postularo, quod totius Papismi cor & Palladium esse constat, in præsens confidenter contradicimus, possemus quidem omnem Controversiam ad hoc unicum punctum reducere, quod adversariis incumbat probare argumentis idoneis & documentis irrefragabilibus, quòd Papa Romanus Petri in Episcopatu oecumenico legitimus sit successor, ad quod utique non sufficit successio in loco aut sede, sed vel maximè requiritur successio in *doctrinâ*, quam apud Romanenses à doctrinâ Petri longè diversam, imò huic è diametro adversam & contrariam esse ex Epistolis Petrinis, in specie ex 1. Epist. c. II, 6. 13. c. IV, II. c. V, 4. 9. & 2. Epist. c. I, 10. 19. nullo negotio demonstrari potest, quoipso res omnis ad accuratum doctrinæ Pontificiæ examen redit, quod variis illi *methodis* & artibus tantopere declinare ac subterfugere student. Ut verò eò clarius constet, quid de assertionibus suprâ positis omnibus ac singulis sit habendum, dicimus falsissimum esse, **Primò**, quod caput totius Ecclesiæ Monarchicum visibile divinitus sit institutum. **Secundò**, quòd Petrus hanc potestatem Monarchicam à Christo accepit. **Tertiò**, quòd Romæ fuerit Episcopus. **Quartò**, si vel maximè ut Episcopus ibi mortuus esset, quòd Pontifices Romani ejusdem legitimi in hunc usque diem sint Successores. Ex quo per se fluit, quòd potestas illa, quam adversarii Papæ in *Spiritualibus & temporalibus* summam tribuunt, ruinoso nitatur fundamento, & reverà nihil aliud sit, quam affectata in Ecclesiam Tyrannis ac dominatus prorsus intolerabilis.

§. III.

ASSERTIO I. DEUS nunquam constituit Caput aliquod totius Ecclesiæ visibile & Monarchicum, neque

neque Ecclesia Christi tali capite Vicario opus habet. Probatur

I. Ex *Silentio Scripturae*. Hanc enim si consulamus, uti omnino fieri par est, si quidem primatum Pontificis juris divini esse evincere velint adversarii, quod plerique intendunt, (quanquam SCOTUS *L. 4. Sentent. dist. 24.* & CAJETANUS *de primatu Papa c. 13.* idipsum diserte negent) patebit, elogium hoc soli Christo proprium esse, quod scilicet Ecclesiae caput, hæc verò corpus ejus mysticum sit. 1. Cor. XII, 27. Eph. I, 22. c. IV, 15. c. V, 23. Col. I, 18. Capitis autem alicujus visibilis nuppiam sit mentio, ne ibi quidem, ubi vel maximè fieri debuisset, quando Apostolus 1. Cor. XII, 28. & Eph. IV, 11. diversos ordines seu gradus Ministerii Ecclesiastici recenset, & verò Episcopi alicujus oecumenici nullam prorsus mentionem facit, nullumque gradum nominat, in quo non sint plures ejusdem dignitatis & potestatis, dignitatem vero Apostolicam, quam omnibus ac singulis Apostolis datam esse adversarii negare non possunt, primam ac supremam esse in Ecclesia diserte innuit, quando ait: *Posuit in Ecclesia* NB. πρώτον ἀποστόλους, δεύτερον προφήτας, τρίτον διδασκάλους &c.

II. Ex *Naturâ rei*. Cum enim Christus Ecclesiae suae perpetuò præsto sit secundum utramque naturam Matth. XXIX, 29. coipso Vicario non indiget; Vicarius enim est absentis, vel saltem ejus, qui officio suo ipse defungi nequit. Neque unus homo sufficere potest regendis omnibus ac singulis per totum terrarum Orbem Ecclesiis, quemadmodum nec in regimine Politico unus datur Monarcha totius Universi, ut proinde adversarii frustra heic analogiam Regiminis Ecclesiastici cum Politico urgeant, quod ipsum tamen suppositum directè adversatur effato Salvatoris: *Regnum meum non est de hoc mundo*, Joh. XIX, 36. Et rursus: *Reges gentium dominantur, vos autem*

B 2177

tem non sic. Luc. XXII, 25. Hæc pertinent verba Tractatus de POTESTATE & PRIMATU PAPÆ p. 343. *Superioritas illa est impossibilis, nam impossibile est, unum Episcopum esse inspectorem Ecclesiarum totius Orbis terrarum, aut Ecclesias in ultimis terris sitas petere ab uno ordinationem. Constat enim, regnum Christi dispersum esse per totum Orbem terrarum; hodieque multa sunt Ecclesia in Oriente, quæ non petunt à Romano Episcopo ordinationem & confirmationem. Itaque superioritas illa cum sit impossibilis, & non agnoverint eam Ecclesia in maxima parte Orbis, satis appareat non institutam esse.*

III. *Ab exemplo primitiva Ecclesia, cujus regimen Aristocraticum potius fuisse, quam Monarchicum historiarum monumenta loquuntur, nec diffiteri possunt adversarii. Quid quod Bellarminus necesse habuit fateri, Propter naturam humanam corruptionem utiliorem esse hominibus hoc tempore Monarchiam temperatam ex Aristocratia & Democratia, quam simplicem Monarchiam.* Et in sequentibus** concedit, Summam potestatem Ecclesiasticam non solum datam esse Petro, sed etiam aliis Apostolis. Quod verò addit, Soli Petro datam esse ut ordinario Pastori, cui perpetuo succederetur: aliis verò tanquam delegatis, quibus non succederetur, in eo principium petit, & discrimen hoc pro lubitu fingit.*

§. IV.

Sed videamus nunc, quibus coloribus sententiam contrariam pingant adversarii. MART. BECANUS, * ubi de capite Ecclesie agit, Quartam Conclusionem generaliter sic format: *Præter Christum, qui nunc in cælo est, debet esse aliquod visibile caput Ecclesia in terris, qui loco Christi visibiliter gubernet*

* L. 1. de P. R. c. 1.

** L. c. c. 9.

*** In Manuali Controversiarum L. I. cap. 4. p. 91. §. 19.

net Ecclesiam. Non loquor jam speciatim de Petro vel Pontifice, sed generatim assero, debere esse aliquod visibile caput Ecclesie in terris loco Christi absentis, non quidem quoad internum influxum gratie, sed quoad externam directionem & gubernationem, sicut in absentia Regis solet aliquis constitui in regno, qui vicem illius suppleat in externa politione, praesertim si Rex longo tempore absenturus est. Idque probare conatur tribus rationibus; Primo, quia Synagoga s. Ecclesia Judaica semper fuerit gubernata ab uno visibili capite, nempe a Pontifice, cui reliqui omnes erant subiecti; Ex quo colligit, etiam Ecclesiam N. T. semper debere gubernari ab uno capite visibili, quia haec perfectior sit Synagoga, & verò gubernari ab uno capite perfectior regiminis modus sit, quam gubernari a multis. Secundo, Quia Ecclesia comparatur cum exercitu benè ordinato Cant. VI, 3. cum regno Dan. II. 44. cum ovili Joh. X. 16. cum domo 1. Tim. III. 15. nec non cum humano corpore 1. Cor. XII. 12. Ex quo infert: Sicut exercitus benè ordinatus regitur ab uno Imperatore; regnum ab uno Rege; ovile ab uno pastore; domus ab uno Patrefamilias; corpus humanum ab uno capite; Ita etiam Ecclesiam gubernari ab uno Rectore, & hunc quidem esse Christum quoad internum influxum gratiae; Cum verò is absens sit, quoad externam gubernationem opus esse Vicario, tanquam capite visibili, alioqui, ait, non erit unitas, sed divisio, schisma & dissensio. Tertio, Quia primum regimen, quod Christus in Ecclesia instituit, fuerit visibile & Monarchicum quoad externam gubernationem, quandoquidem ipsemet tanquam supremum caput & Monarcha visibiliter Ecclesiam suam fundavit & gubernavit; quae forma regiminis, si post ejus ascensionem mutata fuisset, sequeretur, Ecclesiam ipsam mutatam nec eandem nunc esse, quae olim fuit; Quia, teste Philosopho, quaelibet respublica censetur mutari, quando modus seu forma gubernandi mutatur, Id quod cum unitate Ecclesiae pugnat. Haec, inquam, sunt ratio.

rationes, quibus Becanus vult probare generatim, quod debeat esse aliquod visibile caput Ecclesiæ in terris, loco Christi absentis, uti verba supra allegata habent.

§. V.

Verum præterquam, quod falso supponatur, Christum hodiè absentem esse ab Ecclesiâ suâ, ratione scilicet humanæ naturæ, cum potius eidem sit præsentissimus *omni die usque ad consummationem sæculi*, Matth. XXII. ult. secundum utramque naturam, licet modo quodam invisibili, rationes allegatæ, si ad stateram verbi Divini appendantur, parum aut nihil ponderis habent. Quod enim *primam* concernit, gratis in eâ supponitur, quod analogia inter Synagogam Judaicam & Ecclesiam Christianam eandem regiminis externi formam eamque Monarchicam exposcat. * Quo semel admisso, varia exinde absurda ultro sequi in aprico est. Summum Pontificem seu Sacerdotem V. T. typum fuisse Christi, docet Paulus in *Epistolâ ad Ebraeos* passim; Quemadmodum verò is plures habuit successores, ita & Christum sive successores, sive Vicarios, (qui ratione externæ gubernationis utique ejus successores essent) plures habere idem disertè negat, c. VII, v. 23. seq. Deinde nec illud absolutè verum est, quod gubernari ab uno perfectius sit, quam gubernari à multis. Pro diversitate enim subjectorum & circumstantiarum sæpe contrarium obtinet. *Secunda* ratio desumpta est ex loco comparatorum, ubi in genere notandum, similia hujusmodi non probare, sed solum illustrare, nec Theologiam parabolicam esse argu.

* *Quæ enim consequentia, quærit Dannhæuerus in Hodom. Pap. P. I. p. 567. Synagoga angustus pomeriis definita gubernata fuit ab uno visibili capite, Ergo Ecclesia Catholica in omnem orbem diffusa iidem ab uno visibili capite gubernanda est; perinde ac si colligas: Scultetus pagi potest toti pago regendo par esse, ergo etiam toti civitati, toti regno.*

argumentativam. Siquid tamen ista probant, hoc certè probant, quod Ecclesia regatur a solo Christo, quem Scriptura ut Imperatorem, Regem, Pastorem oecumenicum, Patremfamilias & caput Ecclesiæ unicum nobis passim sinit, neque ullo in loco Vicarii cujusdam meminit, qui absentis vicem gerat. Proferant adversarii, si possunt, vel unicum locum, in quo præteritæ veritatis hujus, cui tota Ecclesia Romana tanquam fundamento superstructa est, vola aut vestigium extet. Hoc legimus apud D. Joannem c. XIV, 16, 17, quod Salvator optimus discipulis suis paulo ante abitum suum ex his terris promiserit *alium Paracletum*, nempe Spiritum S. qui eos in omnem veritatem sit ducturus; Quod verò ad visibilem quandam Vicarium & Rectorem oecumenicum in absentia sua eos remiserit, nullibi legimus, & proinde temerariam hanc assertionem pro suspectâ, imo aperte falsâ, meritò habemus. *Tertia* ratio ab institutione regiminis *summi*, quod Christus sibi soli reservavit, ad perpetuam regiminis *subalterni* Monarchici durationem ineptè concludit. Christus utique gubernavit Ecclesiam suam modo quodam visibili ad tempus, quamdiu in his terris versatus est, subtractâ verò per ascensionem præsentia suâ visibili modus quidem regiminis mutatus est, ipsum tamen summum regimen quoad substantiam mansit idem, & administratur ab eodem in hunc usque diem absque ullâ mutatione in Ecclesiam redundante, cujus unitati diæterium *Aristotelis* nec derogat, nec derogare potest. Regimen verò subalternum Monarchicum & visibile à Christo institutum esse nullibi, uti modò diximus, in S. tabulis legitur, quod tamen silentio prætermittendum minimè fuisset, si quidem res ita se haberet, uti adversarii contendunt.

§. VI:

ASSERTIO II. Petrus non fuit Monarcha seu
totius Ecclesiæ caput & Princeps ab ipso Christo

institucus. Ita à Thesi ad hypothésin progredimur contra adversarios asserentes, Christum Petro Monarchatum detulisse, Petrum eundem Romæ per XXV. annos usque ad mortem usurpasse, & in Episcopos Romanos sibi succedentes derivasse; Quæ quæstiones, cum puri puti facti sint, ab ipsis assermantibus probari debent. Nos interim ex superfluo negativam nostram adstruimus rationibus sequentibus:

I. Quia Christus æqualiter misit omnes Apostolos Joh. XX. 21. æqualiter omnibus dedit *claves regni Cælorum* Matth. XVI. 19. XliX. 18. Joh. XX. 23. æqualiter curam & *pasturam ovium* suarum, quæ verbo & sacramentis fit, omnibus commisit. Conf. Matth. XXII. 19. 20. Marc. XVI, 15. Actor. XX. 28. 1. Petr. V. 2. Quin & primatus ac *dominatus* usurpatione omnibus expresse *interdixit*. Matth. XX. 25. seqq. Marc. X. 42. seqq. Luc. XXII. 25. seqq. Unde CYPRIANUS de *Simplic. Prælat. Hoc erant usque & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi honoris & potestatis.* Et rursus: *Episcopatus unus est, cujus à singulis in solidum pars tenetur.* Quæ verba in Jure Canonico c. XXIV. q. 1. approbata non solum Primatum *jurisdictionis* Petro denegare videntur, sed & primatum *ordinis & honoris*, quem nos aliàs eidem ratione ætatis, vocationis, & donorum quorundam singularium aliarumque prærogativarum cum præseis Patribus haud difficulter concedimus.

II. Quia expresse Paulus ait, *se nullâ re inferiorem fuisse summis Apostolis* 2. Cor. XI. 5. XII. 11. id quod tam confidenter & absque notâ arrogantix asserere non potuisset, si quidem Petrus Monarcha totius Ecclesiæ & Princeps Apostolorum ab ipso Christo constitutus fuisset. Quid? quod ipse Petrum *μη ὀρθοποδῶντα* acriter increpavit eique *in faciem restitit*, non simulate, sed serio, uti *Augustinus* contra *Hieronymum* dudum evicit, Gal. II. 14. Id quod sanè Pontifex Romanus æquo animo hodie non ferret.

III. Quia

III. Quia Jacobus, Cephas & Johannes vocantur *columnæ* Gal. II. 9. neque ulla Petro præ duobus cæteris prærogativa tribuitur, quin potius Jacobus ei præponitur; Quemadmodum & idem in concilio Hierosolymitano sententiam dixit & voto decisivo controversiam diremit, non Petrus. Act. XV. 13. 19. quem & reliqui Apostoli autoritative, qualiter à Collegio fieri solet, in Samariam ablegarunt, Act. XIX. 14. Ex quo solidè colligitur, quod nullam super reliquos Apostolos potestatem habuerit; aliàs, quod benè monet SCHERZERUS, mortuo Petro successor ejus in Cathedrâ Romanâ superstitem Apostolorum caput fuisset, quod nemo facilè affirmabit. *

§. VII.

* Tractatus de POTESTATE & PRIMATU PAPÆ, per Theologos Sinalecidiæ congregatos conscriptus anno 1537. quatuor potissimum loca ex Evangelio adducit contrâ Primatum Petri hoc ordine: Luc. XXII. 25. Christus expresse prohibet dominationem inter Apostolos. Nam hac ipsa erat questio, cum Christus dixisset de sua passione, disputabant Illi, quis esset præfuturus, & tanquam absentis Christi vicarius futurus: Ibi Christus hunc Apostolorum errorem reprehendit, & docet, non futuram inter illos dominationem seu superioritatem, sed Apostolos tanquam pares ad commune ministerium Evangelii mittendos esse. Ideo ait: Reges gentium dominantur, vos autem non sic, sed quicumque voluerit esse major inter vos, erit minister vester. Hic ostendit antihæsis, quod dominatio improbetur. Idem docet similitudo, cum Christus in eadem disputatione de Regno collocat in mediis puerum, significans non futurum principatum inter ministros, sicut nec puer Principatum aliquem sibi sumit aut appetit. Ioh. XX. 22. Christus pariter mittit Apostolos sine discrimine, cum ait: sicut misi me Pater, ita & ego mitto vos. Eodem modo ait se mittere singulos, sicut ipse missus est: quare nulli tribuit prærogativam, aut dominationem præ reliquis. Galat. II. 7. 8. Paulus manifestè affirmat, se neque ordinatum neque confirmatum esse à Petro, nec agnoscit Petrum ta-

§. VII.

ARGUMENTA Adversariorum pro Primatu Petri huc ferè redeunt: *Primò*, quia Petrus dicatur *Petra*, super quam Ecclesia sit fundata. *Secundo*, quia ei specialiter *data sint claves*. Matth. XVI. 18. 19. *Tertiò*, quia soli Petro dictum, *pascere oves meas* Joh. XXI. 16. & quidem hoc sensu, ut *pascere* idem sit ac *regere*, per *oves* verò omnes Christiani, etiam Apostoli, curæ Petri commissi intelligantur. Sed RESPONDETUR ad *primum*: *Petram* hanc de ipso Christo digito se ipsum monstrante, (uti Joh. II. 19.) interpretantur Patres vetustissimi, quorum satis prolixum

lem, à quo petenda sit confirmatio. Et nominatim pugnat hac de re, suam vocationem non pendere ab autoritate Petri. Debuì autem agnoscere Petrum tanquam superiorem, si Petrus erat jure divino superior. Ideo inquit Paulus, se non consulto Petro statim docuisse Evangelium. Item, Mea nihil refert, quales illi fuerint, qui aliquid esse videntur: Personam enim hominis Deus non accipit. Item, qui videbantur esse aliquid, nulla mihi mandata dederunt. Cum igitur Paulus clarè testetur, se non voluisse quidem requirere Confirmationem Petri, etiam cum ad eum venisset: Docet auctoritatem Ministerii à verbo Dei pendere, & Petrum non fuisse superiorum ceteris Apostolis, nec unius Petri ordinationem aut confirmationem requirendam esse. I. Cor. III. 6, 8. Paulus exæquat Ministros & docet, Ecclesiam esse supra Ministros. Quare Petro non tribuitur superioritas aut dominatio supra Ecclesiam aut reliquos Ministros. Sic enim ait: Omnia vestra sunt, sive Paulus, sive Apolo, sive Cephas, id est, nec ceteri Ministri, nec Petrus sibi sumat dominationem aut superioritatem supra Ecclesiam, non onerent Ecclesiam traditionibus, non valeat ullius autoritas plus quam verbum, non opponatur autoritas Cephae contra autoritatem aliorum Apostolorum, sicut argumentabantur eo tempore: Cephas hoc observat, qui est superior Apostolus, ergo & Paulus & ceteri debent hoc observare; hunc pretextum Paulus detrahit Petro, & negat ejus auctoritatem antiferendam esse ceteris, aut Ecclesia.

lixum catalogum necit Forbesius *Instruct. Histor. Theol. L. XV. c. VII.* Imò ipsa Scriptura Sacra Esa. XXIIIX, 16. 1. Cor. III, 11. c. X, 4. 1. Petr. II, 6. Christum *Petram*, & *unicum fundamentum* Ecclesiæ difertè appellat, ut proinde hæc interpretatio Patrum Scripturæ sit quammaxime conformis & analoga. CHRYSOSTOMUS *Homil. LV. in Matth.* de Confessione à Petro editâ exponit, quam verò & reliqui Apostoli ediderunt. Joh. XVI, 30. Quare & Ecclesia non super Petrum præcisè, sed *super fundamentum Prophetarum & Apostolorum*, h. e. super doctrinam de Christo *exstructa* dicitur Eph. II, 20. Conf. Apoc. XXI, 14. Jam verò à fundamento *doctrinali* ad *personale* n. v. c. *

Ad *Secundum* nervosè respondit SCHERZERUS: *Petro datas esse claves quis negat? Soli datas esse quis Papistarum probat?* Contrarium patet ex locis jam allegatis Matth. XIII, 18. Joh. XX, 25. Quòd si soli etiam Petro datæ fuissent, quod tamen falsum, quæso, quæ, qualis, quanta consequentia à *clavibus*, h. e. à potestate ligandi & solvendi ad *sceptrum* sive regimen Monarchicum? Ad *tertium* jam ante est responsum, ** Pastoratum omnibus Apostolis, & horum quoque successoribus à Christo demandatum esse. Neque Petrus omnes Christianos pavit, sed Judæos potissimùm, quemadmodum Paulus Gentilibus Evangelium prædicavit Gal. II, 8. 9. Et ipse, tanquam *compresbyter*, omnes presbyteros hortatur, ut *gregem Domini pascant*. 1. Ep. V, 2. Sed nec *pascere* h. l. idem est ac *regere*, nedum *Monarchicè regere*. Egregiè CYPRIANUS *Epist. 67. ad Stephanum*: *Etsi Pastores multi sumus, unum tamen gregem pascimus, & oves universas, quas Christus sanguine suo & passione acquisivit, colligere & fovere debemus.* ***

C

§. VIII.

* De cætero locum hunc prolixè contrà Bellarminum vindicavit B. D. JÆGERUS in Tr. de Ecclesiâ Controv. XIV. p. 149. fqq. post GERHARDUM in LL.

** Conf. quoque ad h. l. B. D. JÆGERI Tract. de Ecclesiâ p. 156.

*** Confer, quæ in Tractatu de potestate Pontificis ad singula hæc loca responsa sunt. p. 344.

§. VIII.

ASSERTIO III. Petrus non fuit Episcopus Romæ, neque ibi Monarchiam Ecclesiasticam unquam exercuit, consequenter nec sedem Papalem ibi erexit. *Petrum Roma fuisse, inquit CHEMNITIUS in Harmon. Evang. c. 50. omnes Historici consentiunt. De hoc igitur quæstio non est, quanquam sint, qui etiam de hoc dubitent, unde Distichon:*

*An Petrus Roma fuerit, sub iudice lis est;
Simouem Roma nemo fuisse negat.*

Sed de hoc quæritur, an Petrus Romæ Episcopus fuerit & quidem œcumenicus, Sedemque suam, iubente Domino, uti *Bellarminus* loquitur, ibi collocarit, & per integros XXV. annos Principatum totius Ecclesiæ gesserit, quod Pontificii communiter asserunt, nos verò negamus, idque ex rationibus seqq.

I. Quia traditio ista cum iis, quæ de Petro & Paulo in Sacris literis annotata extant, vix conciliari potest, id quod B. GERHARDUS sic ostendit; Petrus Concilio Hierosolymitano, quod juxta calculum Hieronymi incidit in annum nonum Claudii, interfuit A. XV, 17. Post Concilium Paulus Petrum reprehendit Gal. II, 14. tunc ergò nondum fuit Romæ. Anno secundo vel tertio à Concilio, hoc est, anno undecimo vel duodecimo Claudii Paulus scripsit Epistolam ad Romanos, teste *Bellarmino Lib. II. de Rom. Pont. Cap. VIII.* In ea salutarè fere omnes, quicumque Romæ præstantiores erant, Petri verò nullam facit mentionem. Anno secundo Neronis Paulus Romanam captivus ducitur, fideles, qui tum Romæ erant, obviam ei procedunt, A. XXVIII, v. 15. Petri nulla fit mentio. In captivitate illa Paulus fuit per biennium. A. XXVIII, v. 30. Sed

Sed toto isto tempore Petrus non fuit Romæ. Scripsit enim Paulus ex carcere Epistolas varias, ad *Colossenses* unam, posteriorem ad *Timotheum*, ad *Philemonem* unam. At in nulla istarum Petri mentionem facit, quinimo 2. Tim. IV, 16. discrete dicit, *in prima defensione nemo mihi adfuit, sed omnes me dereliquerunt, non illis imputetur.* In iisdem Epistolis ad *Colossenses*, ad *Timotheum*, ad *Philemonem* multi boni viri Romæ existentes salutant eos, ad quos Paulus scribit, Petri autem nulla fit mentio. Act. XIX, 21. dicit Paulus, *oportet me Romam videre.* Ipse Christus dicit ad Paulum Act. XXIII, 11. *Confide Paule, ut enim testificatus es de me in Hierusalem, sic te oportet etiam Romæ testificari.* At si Petrus tum Romæ fuisset, vel inde alio abiens universalem aliquem Episcopum in Sede Papali successorem constituisset, quorsum opus fuisset, Paulum Romæ testificari? In Epistola ad *Philippenses*, quam Paulus itidem Romæ scripsit Cap. II, 20. de Timotheo sic loquitur: *Neminem habeo isóuxov, qui sincerâ affectione pro vobis sollicitus sit, v. 21. omnes enim, que sus sunt, querunt, non que sunt? ESU Christi.* At si Petrus tunc Romæ fuisset, infidelitatis à Paulo accusatus fuisset. Paulus de se scribit Rom. XV, 20. *Ibi prædico Evangelium, ubi Christus non est nominatus, ne super alienum fundamentum adificem, v. 21. Sed sicut scriptum est, quibus non est annunciatum de eo, videbunt, & qui non audierunt, intelligent. v. 22. propter quod & impediabar plurimum, venire ad vos, &c.* Erat igitur Paulus Romæ prædicaturus, ubi nondum fuerat per ullum Apostolorum prædicatum, & nequaquam tantopere laborasset, ut Romam perveniret, si Petrus jam ibi fuisset, neque imperfectionem fidei à Romanis susceptæ argueret, si à Petro illi edocti fuissent, eundemque adhuc præsentem habuissent. Rom. I, 11. *Desidero vos videre, ut gratiam spiritualem vobis administrem.* Act. XXVIII, 21. Judæi Romæ habitantes Paulum sic alloquuntur: *Nos neque literas de te à Judæa accepimus, neque adveniens aliquis fratrum nunciavit quid de te*

malum. v. 22. Rogamus autem audire ex te, quæ sentis, nam de secta hac notum est nobis, quia ubique ei contradicitur. At si hi Petrum habuissent præsentem, & ejus prædicationem audivissent, non fuissent adeò rudes & ignari, neque opus habuissent, ut Paulus pleniorẽ sectæ istius novitiæ notitiam traderet.

II. Quia Episcopatus Romanus Petro assignatus non satis convenit cum pacto inter Petrum & Paulum inito, vi cuius Petrus Apostolatu suo præcipuè inter Judæos fungi debuit Gal. II. 7. Quemadmodum & ex priore Epist. c. I. v. i. constat, quòd profectus fuerit in Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam & Bithyniam, ut dispersis fratribus Judæis illis prædicaret. Romæ verò Gentiles rerum potiebantur, quibus Paulus Evangelium prædicare debuit, vi loci allegati, & actu quoque prædicavit ore & calamo, ut constat. Imò Episcopatus certæ cuidam sedi affixus cum ipso Apostolatu, Petro uti aliis discipulis commisso, pugnare videtur.

III. Si vel maximè Petrus Romæ ad tempus Episcopus fuisset, nondum tamen sequeretur, quòd fuerit Episcopus Oecumenicus S. universalis totius Ecclesiæ, & quòd Monarchiam Ecclesiæ & sedem Papalem ibi fundarit, sunt enim hæc duo longe distinctissima.

§. IX.

Nullitas ARGUMENTORUM, quæ pro hâc opinione ab adversariis afferuntur, per se patet. 1. Quando enim BELLARMINUS Romanam Ecclesiam omnium primam ac præcipuam fuisse probat ex eo, quia Petrus illius fuerit Episcopus; Et mox Petrum Romæ Episcopum fuisse probat ex eo, quia Romana Ecclesia omnium consensu semper habita fuerit prima & præcipua inter omnes alias, manifestum committit circum. 2. Quòd si vel maximè probari possit, quòd per Babylonem
1. Petr.

1. Petr. V, 13. intelligatur Roma, quo ipso tamen propriam turpitudinem allegant aduersarii; Et, quod Petrus Romæ mortuus sit, & martyrium subierit, quid tum? Num igitur statim Romæ Episcopus fuit, & quidem universalis totius Ecclesiæ?

3. Si argumenta Jesuitarum valent pro Episcopatu Romano Petri, prout *Arnoldista* inter ipsos Pontificios pluribus documentis evicerunt. * Quin & ipse BELLARMINUS ** fatetur cum Ireneo, utrumque Apostolum, *Paulum & Petrum, Ecclesiam Romanam fundasse & gubernasse, & Pontifices Romanos tam Paulum, quam Petrum Prædecessorem & Parentem agnoscere. Et Veteres consultò hunc morem servasse, ut Paulo modo dextram, modo sinistram assignarint, ut eo modo significarent, hos Apostolos vel pares esse inter se, vel certè ignorari, uter alteri præset.*

§. X.

ASSERTIO IV. Si vel maximè Petrus Romæ Episcopus fuisset, tamen Pontifices Romani in Monarchiâ Ecclesiasticâ veri ac genuini ejus successores non sunt.

I. Quia ei non succedunt neque in *Doctrinâ*, uti mutua collatio ostendit; neque in munere & officio, quia non pascunt oves Christi, uti Petrus, verbo & sacramentis, sed docendi munus in aliorum humeros rejiciunt; multo minus in vitâ & moribus, id quod ex vitis Pontificum Romanorum ab ipsis Scripторibus Pontificiis delineatis abunde liquet, & prolixiore

C 3

pro

* Vid. La Grandeur de l' Eglise Romaine établie sur l' autorité de S. Pierre & de S. Paul, quem librum Jo. Henr. Ottius in Epitomen redegit & notis illustratum edidit Basileæ.

** L. 1. de Rom. Pontif. c. 27. §. quod autem &c.

probatione non indiget, si modò divitias Pontificum Romanorum cum paupertate Petri Act. III. 6. fastum & superbiam* cum humilitate ejusdem Act. X. 25. conferre velimus. Jam verò non solùm *Gregorius Nazianzenus*; τὸ ὁμογενῶν ὁμολογῶν, τοῦ δὲ ἀντιδόξου ἀντιθρονοῦ *Orat. XXI.* acutè dixit, sed & cordatiores inter ipsos Pontificios libenter agnoscunt, successionem personalem ac localem nihil valere absque Successione doctrinali, id quod exemplo Phariseorum & Scribarum comprobari potest, qui quidem eathedram Moſis occupârunt, nec tamen genuini ejus successores fuerunt, quia à doctrinâ Moſis & Prophetarum in quamplurimis recesserunt. Pariter de Ecclesiâ Græcâ *REIHINGIUS* adhuc Pontificius in *Excubiis contra D. Meisnerum* p. 16. ait; *Habet ea quidem seriem, si potestas ordinis spectetur, non diffitemur; sed ejusdem doctrina predicationem cum majoribus communem & ab iis deductam, qua tamen series maxime ad veram Ecclesiam demonstrandam momenti est, non habet.* Idem nos desideramus in Ecclesiâ Romanâ. Quare etiam si *Romanus Episcopus* divino jure primatum & superioritatem haberet, tamen non debetur obedientia his Pontificibus, qui defendunt impios cultus, idololatriam, & doctrinam pugnantem cum Evangelio: Imò tales Pontifices, & tale regnum haberi debent tanquam anathema, sicut *Paulus* clare docet: *Si Angelus de Cælo aliud Evangelium doceret, præter id, quod vos docui, anathema sit. Et in Actis: Oportet Deo magis obedire quam hominibus. Idem & Canones clare docent, heretico Papa non esse obediendum. Leviticus Pontifex jure divino erat summus Sacerdos, & tamen impiis Pontificibus non erat obediendum, ut Jeremias & alii Propheta dissentiebant à Pontificibus, Apostolus dissentiebant à Caipha, nec debebant ei*

* *Quam BERNHARDUS Eugenio* exprobravit his verbis: Petri sedem tenes, qui nescitur aliquando processisse vel gemmis ornatus, vel sericis, non tectus auro, non vectus equo albo, nec stipatus milite, nec circumstrepentibus septus Ministris. In his non Petro, sed Constantino successisti.

et obedire. *Constat autem, Romanos Pontifices cum suis membris defendere impiam doctrinam & impios cultus.* Vid. LL. Symbol. p. 347.

II. Quia quamplurimi Pontificum Rom. modis planè illegitimis sedem Romanam occupârunt ; alii quidem per *Simoniacam* largitionem, quod Platina refert de Sylvestro III. Benedicto IV. & IX. Sergio III. alii per vim & *factiones*, quod idem testatur de Damaso I. & II. Sylverio, Vigilio I. Johanne XIII. Benedicto V. aliisque ; alii per *fraudes* ac dolos, quemadmodum Platina de Gregorio VI. ait, quod non per ostium, sed per posticum, ut fur & latro ingressus sit ; alii aliis malis artibus, etiam adjuvante Diabolo, uti Sylvester II. & operâ meretricum, ut Johannes II. teste eodem Platina. Ut de JOHANNES PAPISSA nunc non dicamus, de quâ præter GERHARDUM nostrum in *Confess. Cathol. Lib. II. Art. III. Cap. IV. pag. 629. seqq.* legi meretur FRID. SPANHEMIUS.

III. Quia aliàs eodem jure Episcopus Antiochenus sese pro Petri in Monarchia successore gerere potuisset, cum Petrus Ecclesiam Antiochenam fundâsse, & integros septem annos ibi sedisse credatur adversariis, id quod de Ecclesiâ Romanâ certo affirmari nequit. Quid? quòd ipse BELLARMINUS fateatur, rationem, cur Episcopus Romanus potius quàm Antiochenus vel aliquis alius succedat, non habuisse initium ex *insistito Christi*, sed ex *facto Petri*; quod tamen factum adhuc probandum est. Item, *neque ex scripturâ, neque ex traditione haberi, sedem Apostolicam ita affixam esse Romæ, ut inde auferri non possit.* Ac perquam probabile est & credibile, eam inde ablatam fuisse, postquam per integra duo secula homines non Apostolici, sed Apostatici & Apotactici, imò monstra visu horrenda, dicente *Baronio*, in Episcopatum Romanum intrusa fuere. Ad cujus infamiz excusationem nihil aliud reperire potuit idem Cardinalis

nalis, quàm quod Christus eo tempore, hoc est, per integra duo secula DORMIVERIT; quam responsonem tanto Viro indignam, imo sceleratam meritò appellavit B. noster *Cancellarius* D. JÆGER. * Ut non dicamus, ne quidem de proximis Petri Successoribus quicquam certi constare ex Historiâ, aliis *Linum*, alijs *Clerum*, alijs *Clementem* mortuo Petro successisse memorantibus.

§. XI.

Et sanè non habent hic Adversarii, quòd regerant, nisi incertas traditiones, vanas præsumptiones, & lubricas probabilitates. ** Scripturam verò, ex quâ jus, quod prætendunt, Divinum omnino probare deberent, adeò allegare non audent, ut VALERIANUS MAGNUS, Capucinus, Reinfelxæ in Colloquio cum *Haberkornio* & *Menzero* habito, factus fuerit, quod Principatus Pontificis Romani *nullo argumento Biblistico* demonstrari possit, quam thesin & biennio post peculiari Apologia contrâ nebulones, quos vocat, id est, Jesuitas defendit. 2. Sed nec Concilia, quæ crepant, Primatui Pontificis Romani favent. Certè Canon VI. Concilii Niceni I. contrarium habet; additamentum verò illius: *Ecclesia Romana semper habuit primatum*, spurium esse testantur editiones veteres pariter ac recentiores. Quod si vel maximè genuinus esset, non tamen de Primatu *jurisdictionis* sed *ordinis* procul dubio intelligendus foret. Concilium quoque Africanum c. VI. expressè decrevit, nec

* Tract. de Ecclesia p. 13.

** *Bartholdus Nibysius* Apostata P. II. *Artis nova* c. 5. tam absurdus est atque insulsus, ut dicat: hanc veritatem, quod Pontifices Rom. olim in S. Petro fuerint constituti rectores totius Ecclesiæ militantis ab ipsomet Christo, *simplici fide* tenendam esse, neque in se *probationibus* niti aut indigere. Quasi vero res facti probationibus opus non habeant.

ne primæ Sedis Episcopus Princeps Sacerdotum appelletur, quem Canonem adprobavit Jus Canonicum *Distinct.* XCIX. c. III. * 3. Quod testimonia Pontificum Romanorum attinet, quæ in hanc rem adduci solent, in propriâ causâ ista valere non possunt. Cæterum audiri hic præ aliis omnibus meretur GREGORIUS MAGNUS & ipse Episcopus Romanus, qui nomen *universalis* Episcopi tanquam *Anti-Christianum, superbium ac profanum, vanum & pompaticum, stultum ac frivolum, imò blasphemum ac nefandum* elationis vocabulum ex Ecclesiâ prorsus eliminandum judicavit. Vid. L. IV. Epist. 30. 32. 34. 36. 38. 39. &c. Ubi inter alia: *Ego, ait, fidenter dico, quòd, quisquis se Universalem Sacerdotem vocat, vel vocari desiderat, in elatione suâ Anti-Christianum præcurrit, quia superbiendo se cæteris præponit.* Et de Romano Pontifice inquit, *per Synodum Chalcedonensem hoc quidem Universalitatis nomen ei oblatum esse, sed nullum unquam Prædecessorum suorum hoc tam profano vocabulo uti voluisse.* Denique ad Johannem Episcopum Constantinopolitanum scripsit: *Tu, quid Christo universalis Sanctæ Ecclesiæ capiti in extremi judicii es dicturus examine, qui cuncta ejus membra tibimet conaris universalis appellatione subjicere?* Et tandem subiungit: *In istud scelestum vocabulum consentire nihil aliud est, quam fidem perdere.* Quæ omnia utinam ad animum revocarent moderni Pontifices Romani.

§. XII.

Jam verò ex hætenus dictis facile est judicare, quid de POTESTATE PONTIFICIS Rom. quam summam sibi arrogat in *Spiritualibus & temporalibus*, sit habendum. Nimirum, duobus rursus modis hic peccant Adversarii:

D

PRIMO

* Quid Augustinus & Episcopi magno numero in Concilio Carthaginiensi VI. congregati senserint de universali Papæ Jurisdictione in Ecclesiam, & qua ratione Canonem Concilii Nicæni à Zozimo allegatum suppositivum esse docuerint vid. apud B. D. JÆGERUM Tr. de Ecclesiâ p. 140. seqq.

PRIMO quidem, dum statuunt, quòd Christus potestatem summam ferendi leges universam Ecclesiam obligantem contulerit Petro ejusque successori Pontifici Romano, ita ut jurisdictio Ecclesiastica *νομοθετικὴ* penes hunc solum resideat immediatè, & ab hoc in alios Episcopos deriveretur. Quæ assertio, uti superstructa est hyporhesi de Primatu Pontificis, ita hâc destructâ ipsa quoque per se corruiat. Competit sanè Ecclesiæ potestas ferendi leges Ecclesiasticas, circâ disciplinam & bonum ordinem in Ecclesiâ observandum, quæ tamen non directè & per se, uti Leges Divinæ, sed saltem indirectè & mediatè obligant in conscientiâ, quatenus illorum transgressione *ἁγίας & εὐαγγελικῶν* violatur & infirmis scandalum præbetur; Id quod exemplo primi Concilii Apostolici constat, in quo communi suffragio totius credentium multitudinis factum est decretum: *Placuit Apostolis & Senioribus cum omni Ecclesiâ &c.* Act. XV, 22. Soli autem Pontifici Romano, vel solis Prælati & Episcopis competere potestatem pro arbitrio condendi leges de rebus per se adiaphoris conscientiam per se obligantes sub culpâ mortali, adeoque pares legibus Divinis, (imò quas Divinis non solum exæquari, sed in ipsâ praxi etiam præferri in Papatu constat,) id est, quod negamus,

I. *Quia* Christus à jugo legum Ceremonialium nos liberavit, & à servitute conscientiarum, quæ oritur ab humanis ordinationibus, nos absolvit. Vid. 1. Cor. VII, 23. Gal. V, 1. Col. II, 16. ubi libertas circâ usum rerum indifferentium, modò absit scandalum, Christianis concessa stabilitur.

II. *Quia* ne ipsi quidem Apostoli, quorum tamen auctoritas procul omni dubio longè major fuit, novas hujusmodi leges v. g. de *sanguine & suffocato* Act. XV, 29. tulerunt, sed solum quæ in Lege veteri circâ hæc præcepta erant, ad tempus adhuc observari jusserunt ad avertendum scandalum Judæorum, adeoque exercitio saltem libertatis Christianæ limites tantisper posuerunt, prout id status & conditio Ecclesiæ istius temporis exigere videbatur. Et denique

III. *Quia*

III. Quia ordinationes institutæ tanquam *necessariæ ad salutem aut cum opinione promerenda gratia* è diametro pugnant cum Evangelio, quod docet, *nos gratiam per fidem in Christum gratis consequi, non propter certas observationes aut propter cultus ab hominibus institutos.* Ex quo AUGUSTANA CONFESSIO* infert, quòd liceat quidem Episcopis seu Pastoribus facere ordinationes, ut res ordine gerantur in Ecclesià, non autem ut per illas mereamur gratiam aut satisfaciamus pro peccatis, & conscientia obligentur, ut judicent esse necessarios cultus, ac sentiant se peccare, cum sine offensione aliorum eas violant. **

SECUNDO adhuc gravius errant adversarii in eo, quod Pontifici Romano summum quoque dominium temporale in regna totius mundi, in Imperatores, Reges & Principes jure Divino competere impudentissimè asserunt. Perinde autem est, sive cum Canonistis dicatur, Pontifici Romano competere hanc potestatem summam in temporalibus *directè*, *** sive cum Jesuitis, Papam habere potestatem summam disponendi de rebus omnibus Christianorum saltem *indirectè* & in ordine ad bonum spirituale, quatenus nimirum expedit Ecclesiæ. Accidentale enim hoc tantum discrimen est, & si soli Papæ competit potestas judicandi, utrum expediat Ecclesiæ nec ne poterit is Reges deponere & alios eligere pro lubitu. Quamquam posterior hæc assertio, quæ Bellarmini fuit, **** ambitioni Sixti V. satisfacere adeò non potuit, ut parum abfue-

D 2

rit.

* Art. VII. abus. p. 42.

** Conf. Apologia Att. XIV. p. 202. seqq. & Tractatus de potestate & primatu Papæ per Theologos Smalcaldicæ congregatos conscriptus p. 340. seqq.

*** Quam sententiam nuperus Scriptor Belga d' Enghien defendendam suscepit.

**** Qui tamen ipsam quoque potestatem spiritualement summam Pontificis eousque extendit, ut contra Barclajum scribere veritus non sit: Per ipsam spiritualement potestatem potest summus Pontifex ligare Principes seculares

rit, quin omnia Doctoris illius opera Pontificia censura aboleret, id quod illius ordinis Patres, cujus tunc erat Bellarminus, serio sibi narrasse tradit BARCLAJUS, Jctus Pontificius in Academia Mussipontanâ in *L. de Potestate Papæ in Principes Christianos c. 13.* Hoc verò quid aliud est, quam extolere

vinculo excommunicationis; Potest per eandem solvere populos à juramento fidelitatis & obedientia, potest obligare eosdem populos sub excommunicationis poena, ut Regi excommunicato non pareant, atque alium sibi eligant Regem. Quæ sententia, teste experientia, fax & tuba feditionum, incentivum parricidiorum & lerna omnium malorum est. Id quod ex nupero facto Clementis XI. non tantum totum exercitum Casareum excommunicantis, sed ipsum quoque sacratissimum Imperatorem JOSEPHUM mucrone maledictionis nefando ausu percussus ostendit B. Cancellarius noster D. JÆGER. Cujus verba digna sunt, quæ hic denuò Lectorum oculis subjiciantur: Posses, inquit ille, pro tegendâ ingenti illa tyrannide prætendi, quod exerceatur contra Principes & populos A catholicos, & hereticos. Verum præterquam, quod tales civuli etiam sint contra pacificationem religiosam, & in æternum probare non possit Pontifex, quod Ecclesia Evangelica sit heretica, par violentia & Tyrannis Spiritualis exercita fuit contra sacratissimum nostrum Imperatorem. Quæ enim Tyrannis potest esse major, quam cum totus ejus exercitus in Italia vivens, & pro causa justissima Caroli III. Hispaniarum Regis pugnans, mucrone maledictionis & damnationis fuit percussus, ex ratione non spirituali, neque ob commissum contra Deum scelus, sed causam mere temporalem, nempe quia jussu Imperatoris in hybernis vixit miles, in Ducatu Parmensi & Placentino. Profecto cum ista Anathematizatio exercitus Casarei in Imperio & maximè apud PROTESTANTES audiretur, non potuit non omnium aures non tantum sed & animos percutere. Quam enim scandalosum & quam Tyrannicum est in Sacerdote summo, qui pro animarum salute omnem operam impendere deberet; quod is una vice usque ad triginta millia virorum pro Casare & Domo Austriaca Serenissima fortissime pugnantium æterna morti addixit. Hoc non est Corpora tantum, sed & Animas occidere. Aucta est in Casarem postmodum Violentia, cum Majestatem Casaream fade Rebellionis accusavit; quid atrocius dici potest? An nunquam Pe-

lere se *Ἡ πᾶσι λεγόμενον Θεὸν ἢ οὐρανία*, qui certissimus filii *perditionis* character est, juxta 2. Thess. II, 4. Hanc igitur potestatem, absque ullo jure aut juris specie, sibi perperam arrogare Romanos Pontifices, facile probatur,

I. Ex eo, quia Christus dedit Apostolis suis tantum potestatem spirituales, hoc est, mandatum docendi Evangelii, annuntiandi remissionem peccatorum, administrandi Sacramenta, excommunicandi impios sine vi corporali, nec dedit potestatem gladii, aut jus constituendi, occupandi aut conferendi regna mundi. Christus enim ait: *Ite, docentes servare ea, quae praecepi vobis. Item, sicut me misit Pater, ita et ego mitto vos. Constat autem, Christum non esse missum ut gladium gereret, aut teneret regnum mundanum, sicut ipse inquit: Regnum meum non est de hoc mundo. Et Paulus ait: non dominamur fidei vestra. Item, arma militia nostrae non sunt carnalia &c.* Vid. LL. Symbol. p. 346.

II. Quia Apostoli, vel saltem Petrus, eodem jure uti potuissent adversus Imperatores Ethnicos, quos Ecclesiae Christi admodum graves fuisse constat, siquidem ex hoc principio age-

D 3

re

trus & Paulus Caesares Romanos Rebelles vocarunt; an in quinque vel sex seculis Christianismi ulli Episcopo Romano iam impia vox excidit. Sed supergressa est Licentia vel verius Impudentia omnem Lineam, cum minae Maledictionis & Condemnationis etiam Augustissimo nostro Josepho fuere intentatae. Hac talia extremo horrore sunt Protestantibus in Imperio, qui sicut ex Principiis suae Religionis sciunt, quid sit Majestas & Potestas à Deo collata, & quod Sanctum illum Characterem ladens aeterna maledictionis reus sit; Ita non possunt non summam illam Caesaris Clementiam admirari, quod tantam injuriam Majestati illatam non vindicet. Scimus quidem religione illum absterri: Sicut & gloriosissimus Imperator Carolus V. nisi religione abstractus fuisset, Sed clementem VII. Roma captum in vinculis in Hispaniam misisset; Sed scimus etiam alios Imperatores Catholicam Religionem fovisse, & tamen Pontificis Rom. licentiam, factum ac Tyrannidem reprehendisse, ac, uti par erat, castigasse. &c.

re voluissent. At tantum abest, ut illi Christianos ab obligatione fidelitatis & obedientiæ erga hos absolverint, ut eos potius ad subjectionem, obsequium & preces pro iis fundendas subinde graviter hortati fuerint. Rom. XII, 1. seqq. 1. Tim. II, 2. 1. Petr. II, 13. idque propter conscientiam & propter Dominum.

III. Quia hoc nihil aliud foret, quam Dominatum exercere in ipsos *Reges gentium & principes populorum*, quod à genio regni Christi, quod *non est de hoc mundo* Joh. XII, 36. adeò abhorret, ut discipulis suis ne quidem ad modum Regum & principum in subditos dominari, nedum ipsis Regibus ac Principibus subditorum dominari permiserit Matth. XX, 25. Marc. X, 42. Luc. XXII. * Quod quàm indignum sit Majestate Imperatoriâ ac Regiâ, in mediis tenebris Papatûs optimè vidit atque intellexit Imperator FRIDERICUS BARBAROSSA, qui Adriano IV. insolentiæ ipsum imò arrogantiam accusanti, quod nomen suum in literis ad ipsum missis nomini Pontificis præposuerit, rescripsit, se jure id facere & ad normam justitiæ; & cum idem Pontifex per legatos urgeret, imperium esse beneficium à Romanâ Ecclesiâ acceptum, contra protestatus est Imperator in literis per universum Imperium circularibus, quibus à solo DEO per electionem Principum Imperium ad se delatum esse affirmavit & tandem subjunxit: *Quicumque nos Imperialem coronam pro beneficio à Domino Papa accepisse dicit, divina institutioni ac Doctrina Petri contrarius est, & mendacii reus erit.* Idem constat de PHILIPPO Pulchro, Franciæ Rege, qui Bonifacio VIII. superioritatem in ipsum sibi arroganti rescripsit his verbis: *Philippus DEI gratia Francorum Rex Bonifacio se gerenti pro summo Pontifice, salutem modicam sive nullam. Sciat tua maxima fatuitas, in temporalibus nos alicui non subesse, Ecclesiarum & præbendarum collationem ad nos jure*

* Cujus loci vindicias adversus *Kunckelium* dedit B. D. JÆGERUS in *Tr. de Ecclesia* p. 134.

jure Regio pertinere. Imò PHILIPPUS II. Rex Hispaniæ, quo tamen nemo Sedi Romanæ impensius favisse creditur, in causâ Lufitanicâ Papæ judicium repudiavit, seque in terris nullum habere judicem, quàm Deum, & propterea præsumtam Pontificiæ Sedis majestatem non agnoscere dixit, *non obstante Sacro illo Canone:* (Bonifacii IX.) *Subesse Romano Pontifici omnem humanam creaturam declaramus, dicimus, definimus & pronunciamus, omninò esse de necessitate salutis.* Cumque Baronius Tomo XI. annalium multa scripsisset de potestate Pontificis in regno Siciliæ, Rex Hispaniæ acerrimus alioqui Pontificis defensor publico edicto dictum Tomum vendere ac divulgare prohibuit. Quæ cum à Regibus Ecclesiæ Romanæ addicissimis ita gesta sint, quis, quæso, ægrè ferat in Theologis Protestantium, quod illi sententiam hanc de potestate Papæ inter *impia & falsa* retulerint, & in sæpius laudato Tractatu hæc de re frequentem in modum scripserint p. 346. *Quod Christus in Passione spinis coronatur, & producitur deridendus in regia purpura: significatum est fore, ut spreto regno spiritali, hoc est, oppresso Evangelio constitueretur illud mundanum regnum, prætextu potestatis Ecclesiastica. Quare Bonifacii Octavi constitutio & cap. Omnes distinct. 22. & similes sententiæ, sunt falsæ & impia, qua contendunt, jure divino Papam esse Dominum regnorum mundi. Ex qua persuasione tenebra in Ecclesiam horribiles invecitæ sunt, deinde etiam magni in Europa motus orti. Neglectum enim est ministerium Evangelii: extincta est notitia fidei, & regni spiritualis: Christiana justitia putabatur esse illa externa politia, quam Papa constituisset. Deinde Papa rapere ad se Imperia ceperunt, transtulerunt regna, vexarunt injustis excommunicationibus & bellis fere omnium nationum Reges in Europa, sed maxime Imperatores Germanicos, aliàs ut occuparent Italicas civitates, alias ut Episcopos Germania redigerent in suam servitutem & eriperent Imperatoribus collationem. Imo etiam in Clementina scriptum est: Vacante Imperio, Papam esse legitimum successorem. Ita Papa non solum dominationem contra mandatum Christi invasit, sed etiam Tyrannicè prætulit se omnibus regibus. Nec tantum in hac re factum ipsum reprehendendum est, quantum illud detestandum, quod præ-*

prætexit auctoritatem Christi, quod claves ad regnum mundanum transfert, quod salutem alligat ad has impias & nefarias opiniones, cum ait, de necessitate salutis esse, ut credant homines, jure divino hanc dominationem sibi competere. Hi tamen errores tum obscurant fidem & regnum Christi, nullo modo dissimulandi sunt. Eventus enim ostendit, eos fuisse magnas pestes Ecclesiæ.

§. XIII.

Ad FUNDAMENTA Adversariorum, quibus commentum hoc superstruere solent, facilis est responsio. Nam *Primo* Potestatem civilem potestati Ecclesiasticæ subjectam esse atque ab hæc dependere, gratis dicitur, quin potius ex sententia Dⁱ Pauli Magistratui Politico *omnis anima subdita* esse debet Rom. XIII. 1. etiam Clericis non exceptis. *Quis enim hos excepit ab universitate*, quærit BERNHARDUS, *si quis tentat excipere, tentas decipere.* *Secundo*, si Magistratui etiam Gentili propter conscientiam obediendum fuit, vi loci modò allegati; Quanto magis Reges & Principes hæretici sunt tolerandi, & si forte Ecclesiæ orthodoxæ graves sint, res precibus DEO commendanda, qui *corda Regum flectere potest sicut rivus aquarum.* Prov. XXI. 1. *Tertio*, Par omnino est, ut Reges & Principes venientes ad Ecclesiam sceptrum suum subjiciant Christo, juxta Psalm. II. 10. XXIV. 7. Quis verò inde colligat, eos Pontifici Romano ita esse subjectos, ut Majestate & auctoritate Regia eosdem exuere & privare possit pro arbitrio, quotiescunque ei visum fuerit. *Quarto*, Subjectio & obedientia Principibus quæ talibus debetur ex jure naturali & divino; ergo non pendet ab ipsorum fide vel infidelitate; Neque Pontifex Rom. ex hoc titulo dispensare potest subditos aut liberare ab obligatione ergà imperantes. *Quinto*, Athalia ex consilio Jojadæ (non mandato) interfecta legitima Regina non fuit. 2 Paralip XXIII. 14. 15. Osiã à Sacerdote separatus quidem fuit ob lepram, 2 Paral. XXVI, 20. sed non exauctoratus. Exemplum Ambrosii Theodosium excommunicantis prorsus alienum est. Neque facta Pontificum fundant fidei articulum, sed pudenda potius Tyrannidis Papalis & intolerabilis fastûs documenta sunt.

Uing. VI. 2^h

= [Dissertationes
theol. ^{Vol.} 49.]

ULB Halle

004 917 588

3





Q. D. B. V.

DISSERTATIO THEOLOGICA

Qua
PRÆCIPUI

PONTIFICIORUM ERRORES

circa doctrinam

DE

ECCLESIA

ΩΣ ΕΝ ΣΥΝΟΨΕΙ

ob oculos sistuntur, strictimque refutantur.

P R A E S I D E

GODOFREDO HOFFMANNO,

SS. THEOL. DOCTORE ET PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO
DUCALIS STIPENDII THEOLOGICI SUPERATTENDENTE,
ET ECCLESIAE DECANO,

Publica ventilationi exposita

Die Mart. MDCCLXXIV.

Hor. ante- & pomerid.

à

RESPONDENTIBUS


M. CHRISTOPHORO LUDOVICO MOEGLING, Kircho-Teccensi

M. FRIDERICO LAUX, Marco-Gröningensi.

SS. Theologiae in Ill. Stipend. Cultoribus.

TUBINGÆ,

Literis HIOBI FRANCKII,



B.I.G.

Farbkarte #13